

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und gemäß II. sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung:

Magno et excellenti ingenio uiri cum se doctrinae penitus  
dedidissent quicquid laboris poterat impendi contemptis  
omnibus et priuatis et publicis actionibus ad inquirendae  
ueritatis studium contulerunt, existimantes multo esse  
5 praeclarius humanarum diuinarumque rerum inuestigare ac  
scire rationem quam struendis opibus aut cumulandis honoribus  
inhaerere: quibus rebus, quoniam fragiles terrenaque sunt  
et ad solius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo  
iustior effici potest. erant illi quidem ueritatis cognitione  
10 dignissimi, quoniam scire tanto opere cupiuerunt atque ita,  
ut eam rebus omnibus anteponerent - nam et abiicisse quosdam  
res familiares suas et renuntiassent uniuersis uoluptatibus  
constat, ut solam nudamque uirtutem nudi expeditique sequerentur,  
et tantum apud eos uirtutis nomen et auctoritas ualuit, ut in  
15 ipsa esse summi boni praemium iudicarent -, sed neque adepti  
sunt id quod uolebant et operam simul atque industriam perdi-  
derunt, quia ueritas id est arcanum summi dei, qui fecit omnia,  
ingenio ac propriis sensibus non potest comprehendī: alioquin  
nihil inter deum hominemque distaret, si consilia et dispositio-  
20 nes illius maiestatis aeternae cogitatio adsequeretur humana.  
quod quia fieri non potuit ut homini per se ipsum ratio diuina  
notesceret, non est passus hominem deus lumen sapientiae  
requirentem diutius errare ac sine ullo laboris effectu uagari  
per tenebras inextricabiles: aperuit oculos eius aliquando  
25 et notionem ueritatis munus suum fecit, ut et humanam sapientiam  
nullam esse monstraret et erranti ac uago uiam consequendae  
inmortalitatis ostenderet. uerum quoniam pauci utuntur hoc  
caelesti beneficio ac munere, quod obuoluta in obscuro ueritas  
latet eaque uel contemptui doctis est, quia idoneis adsertoribus  
30 eget, uel odio indoctis ob insitam sibi austeritatem, quam  
natura hominum procliuis in uitia pati non potest - nam quia  
uirtutibus amaritudo permixta est, uitia uero uoluptate condita  
sunt, illa offensi, hac deleniti feruntur in praeceps et  
bonorum specie falsi mala pro bonis amplectuntur -, succurrendum  
35 esse his erroribus credidi, ut et docti ad ueram sapientiam  
dirigantur et indocti ad ueram religionem.

Fortsetzung nächste Seite!

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Analysieren Sie die Satzstruktur des Textbeginnes (Zeile 1 mit Zeile 9)!
2. Erklären Sie die Bildung und die Bedeutung des Wortes "religio"!